

SCALIGERO (Giulio Cesare)

ELYSIUM ATESTINUM (411 vers)

## AD DIVAM ISABELLAM ESTENSEM MANTUAE MARCHIONISSAM

v.1 Huc mecum liquidis, Aurae Permessides, undis,  
 2 quae gelidos Phoebi lucos et stagna Medusae  
 3 curatis, dum sacra Deo blandita canenti  
 4 sole sub aestivo Parnasia procubat umbra,  
 5 ite, Padi rapido sese qua subtrahit aestu  
 6 Elysium, volucrisque fugam secat insula fluctus.  
 7 Vobis Elysium ante alios justissimus Alfons,  
 8 Alfons, Italiae decoris redeuntis origo,  
 9 nuncupat. Ingredere auspiciis regina secundis  
 10 Calliope, et paulum positis caelestibus armis  
 11 hunc prius, o virgo, mecum decurre laborem.  
 12 At tu, cui veteres praeludit Mincius haustus,  
 13 Diva decus vatium, Diva ultima cura Deorum,  
 14 magna animis, major numeris Isabella superbis,  
 15 unde polus terrae, tellus non invidet astris,  
 16 huc ades, atque volens fraternis ardua ripis  
 17 augustam dignare tuo Dea numine sylvam.  
 18 Illa, licet nunc sit moles pulcherrima, vestro  
 19 auctior ingressu tamen, et praesentia sentit  
 20 pignora, non solitoque premi se pondere gaudet.  
 21 Quin age, quae ignotae exstiterit telluris origo,  
 22 unde vices mundi gerat, unde haec munera tanta,  
 23 quando hic omnia alunt omnes animalia sylvae,  
 24 pande mihi, Dea. Num carum Proserpina munus  
 25 a genitore tulit, nigri cum regis ad aras  
 26 infernae micuere faces, aciemque silentum  
 27 hauserunt trepidi stringentia lumina manes ?  
 28 An Pharos ut pinguis, viridesque Acheloides actae ?  
 29 Anne Jovis fugiens thalamum vetitosque hymenaeos  
 30 ceu levis Asterie patrio defluxit Olympo ?  
 31 Laverat occiduis fumantia colla sub undis  
 32 Hesperus, ambrosiaque manu juga dempserat horis  
 33 emeritis, gelidae tum roscida luna tenebrae

34 jura dabat, blandus cum corpora fessa animantum  
 35 somnus habet, noctisque viam decurrit opacae.  
 36 Sustulerat nitidis Titan convexa quadrigis,  
 37 cum laetos epulis Divos curisque solutos  
 38 noctem exercentes taedis ardentibus atram  
 39 deprendit. Fervent studiis pulsata deorum  
 40 atria, multiplicique frequens strepit aula tumultu.  
 41 Ut primum fessus mensis assedit eburnis,  
 42 incipit, aetherias nutu qui temperat arces :  
 43 "Omnes inter sese vario discrimine terram  
 44 sortitus sibi quisque Deus, quae vindicet arva.  
 45 Glandiferae mihi vocali sub numine quercus  
 46 praestiterunt fidas primis in sortibus urnas,  
 47 quaque Eurique Notique acres arentia plangunt  
 48 litora, et accensis exaestuatur orbis arenis,  
 49 atque locus, ventosa graves ubi Graecia metas  
 50 sudabit, piceoque ingens in pulvere nimbus  
 51 arva Phrygis quondam Pelopis captiva docebit  
 52 fulmineas domitare rotas, tumulumque sub ipsum  
 53 flectere praecipites rapido discrimine cursus."  
 54 Inde aliis aliae diversis sedibus aurae  
 55 evenere, vocat teneris cava tympana palmis  
 56 Ida ferax, latebris errata liquentibus Ida,  
 57 Ida parens fluviorum, ingentibus ardua sylvis.  
 58 Aegae caeruleo Neptuno, Ephyreiaque ora  
 59 omnia sunt educta, dederunt omnia sortes.  
 60 "Quare agite, o superi, cum solem cernitis," inquit,  
 61 "rerum omnem repeti seriem cursumque jubete  
 62 et male compositis regressum exposcite fati."  
 63 Dixerat, et tacitum per pectora dura deorum  
 64 murmur iit, contraque obnixi jussa retractant.  
 65 Ad quos ut nitidum sol extulit aureus orbem,  
 66 quo maesta levat obsessi caligine caeli  
 67 triste supercilium frangens, et nubila differt,  
 68 extemplo sedati animi, risitque nitore  
 69 Omnipotens permulsa domus. Tunc incipit ille :  
 70 "Ponite dissidium, nulla altera fata moramur  
 71 terrarum, sibi quisque habeat quae protulit urnis.  
 72 Terra cavo pelagi latitat quae parva recessu  
 73 perpetitur fluctusque vagos Eurosque minaces  
 74 nequicquam, caecoque jacens ingloria fundo  
 75 desidet ; illa mihi statuatur delubra volenti  
 76 augeat et flammis sordentes pinguibus aras.  
 77 Tu modo fac humiles oras et litora circum  
 78 quae nunc insultant graviter, maria alta residant."  
 79 Sic fatus Jovis assensum nutumque manebat.  
 80 Stant Parcae volucres, et mollia jussa reponunt.  
 81 Tum Rhodon aequoreis lucis pater evocat antris  
 82 informemque animat limum, fingitque sequentem.  
 83 Illa educta vadis paulatim ducere fibras  
 84 et simul apparere, rudes pergliscere in auras.  
 85 Ceu levis in gelidis abstrusa recessibus unda,  
 86 cum sylva adductis excisa securibus, aut cum  
 87 cladem motus agens venas laxavit hiantis,  
 88 emicat et fugiens prono petit agmine campum.  
 89 Tum pater aequoreae domitor saevissimus irae,

90 "Scilicet haec," inquit, "nostris injuria regnis  
 91 accedet ? Non sat fuerat quod terra profundo  
 92 merserit, et pelago victrix dominetur aperto ?  
 93 Quid referam profugosque lacus fontesque receptos,  
 94 meque mihi ereptum ? Quid caerulea numina Nymphas  
 95 fluminaque exesas subterstagnantia rupes ?  
 96 Id vero miseris detur mortalibus ? Esto.  
 97 Nunc etiam pelagi spatiis excludimur ipsis.  
 98 Quis modus, aut quae finis erit ? Quid maxime rerum  
 99 jam statuis ? Quae meta meo sperata dolori est ? "  
 100 Olli sedato respondit Juppiter ore,  
 101 despiciens pontumque ferum terrasque repostas.  
 102 "Nil equidem - caput hoc juro atque haec sceptrum - negarim,  
 103 o frater, neque te frustra sperare licebat.  
 104 Verum ardor gravis inflexit studia alta deorum.  
 105 Cede mihi, durique graves age pectoris aestus.  
 106 Ac ne qua deinceps pelago frauderis aperto,  
 107 accipe, quae nostrae rata sit sententia menti.  
 108 Illa vides tumidum frenantia litora pontum  
 109 fontesque fluviosque lacus lentasque paludes,  
 110 quicquid et intra se liquidi complectitur orbis ;  
 111 hos tu olim excipies rapidos, nunc forte morantes,  
 112 atque vagos temere castigans rupibus altis  
 113 praedulci fluvio Tethyn mulcebis amaram.  
 114 Litora sed valido poteris perrumpere pulsu  
 115 alternoque vado terras tentare jacentis.  
 116 Praeterea quaecumque maris premit insula cursum  
 117 Neptunum agnoscat dominum regemque potentem,  
 118 imponatque focis tauros atque exta recludat.  
 119 Tum tu etiam avulsis maria alta immittere terris  
 120 caeruleosque atris arcessere nubibus austros  
 121 et poteris caelum summotis reddere nimbis."  
 122 Dicta graves jubet hinc testes audire sorores  
 123 cum Nemese, tremuitque palus horrenda profundi.  
 124 Qualis ubi insani perturbant aequora venti,  
 125 anceps, non uno suspensus flamine fluctus  
 126 imminet, hic si devexo niger incubet axe  
 127 Auster, et humectis horror Vulturinus alis  
 128 cedit, et ingenti paret gravis unda tyranno.  
 129 Neptunus molitur iter, junctisque quadrigis  
 130 vadit ; eo gradiente metu maria alta tremiscunt  
 131 moeniaque stabilique ingentes objice turres  
 132 nutant, et pecori stragem juga celsa minantur.  
 133 Immanem ut rapuit Telchinia tela tridentem  
 134 turbidus, utque fluor miscens proclivis arenas  
 135 cunctantis deduxit aquas, utque impulit aequor,  
 136 oppugnata gravi tum primum litora fluctu  
 137 terrificis tempestatum gemuere ruinis.  
 138 Exin qui Latias haerebat segnis ad aras,  
 139 immittit rapidum Zanclaeis faucibus aestum.  
 140 Inde omnem terris longo discrimine Macram  
 141 distulit, et Tenedon Teucro de litore vellit,  
 142 atque hinc digressum montana cacumina tollunt.  
 143 Intremittit ictus Athos, Lemnumque a vertice lato  
 144 excutit ; illa diu caeli per inane voluta  
 145 caeca refert longo flammularum semina tractu.

146 Inde autem saltu valido supra ardua fertur  
147 nubila, et ardentem raptus sublimis in Aetnam  
148 virus inexhaustum spirantis dissipat ignes.  
149 Tum sparsae abstulerunt secum Meligunida flammae,  
150 qua ferus Hippotades vasti sub rupibus antri  
151 ventorum imperia exercet, nautaeque vaganti  
152 Aeolios acies aperit Vulcania campos.  
153 Jamque sub Eoos saevus tranaverat ortus,  
154 Assyrios ubi prima legit Matuta labores  
155 purpureoque diem veniens Oriente colorat.  
156 Jam maris accipiunt vires Cinyreia regna,  
157 cum Venus indigno pectus perculsa dolore :  
158 "Si me dilectis adeo disjungis ab oris,  
159 o genitor, quid enim vestro me sanguine cretam  
160 proderit, aut ponti caelo commista fateri  
161 semina, quo natam, genitor, quo pignore sancis ? "  
162 Dixerat, atque oculis roseum difflabat amorem.  
163 Tum deus : "Omnia diva potes Amathusia apud me.  
164 Verum cuncta, vides, saevissimus aequora Nereus  
165 impulit, et terrae magis et magis ingruit unda.  
166 Posce aliud, nostrumque explora numen in illo.  
167 Est mihi supremo qua se fert plurimus orbe  
168 Oceanus, pictumque frequens praeterfluit axem ;  
169 Elysium claro dixerunt nomine Graii.  
170 Hinc tibi, quae laetas animas fortissima quondam  
171 pectora, progeniem prima sub origine vestram  
172 aurea limitibus praescriptis terra coerces,  
173 quas me cumque jubes caeli vectare sub auras,  
174 serviat, illustresque ostendet clara nepotes."  
175 Excipit hic Venus : "Haud equidem promissa recusem.  
176 Illa inculta vides loca nunc, quae fertilis ambit  
177 vorticibusque cavis lentos Padus explicat orbem.  
178 Olim huc concedet Phrygiis opulentia terris.  
179 Ducet honoratam sobolem Trojanus Atestes.  
180 Nulla terra parens tollet se major ad auras  
181 progenie, propiorque humeris pulsabit Olympum,  
182 Roma meo licet Aenea se jactet alumno,  
183 devictumque premat saevis sub fascibus orbem.  
184 Namque sub altisono Boreas qua fulminat axe  
185 atram hiemem late pluvium deducere caelum  
186 in Romam video, et victis dominarier arvis.  
187 Ast ubi se laetis tollet Ferraria glebis,  
188 altius insurget vivax, florensque nepotum  
189 fama suis patribus, majoribus obstrepet actis,  
190 donec ad Alfonsum sit ventum. Hic fortibus ausis  
191 felici extendet fato virtutis honores.  
192 Hunc imitari operosum erit extremique laboris.  
193 Tantum justitia magnus, tantum intonat armis.  
194 Praeterea frenis positus argentea Phoebe  
195 cum tacet, et sudum laetis secat aera flammis  
196 aeternaque face Ionii tranquilla relucet,  
197 Candida suspiciens Isabellae protinus ora,  
198 ora graves placido gestantia lumine fastus,  
199 aurea conspicuis stupeat sua sidera terris.  
200 Non illam magno sub principe conjuge magnum  
201 imperium capit, at colles egressa superbos,

202 qua densis iter ostendunt clara otia sylvis  
 203 fortunatarum sedes auctura sororum,  
 204 cum vatium victae vires atque orsa fatiscent,  
 205 audiet exorata, aderitque vocantibus ultro.  
 206 Hic statue, haec nostris esto meta ultima votis."  
 207 Dixit, et Idalium nemus et frondosa Cythera  
 208 laeta petit, certasque animo spes concipit alto  
 209 illustrique suos haurit virtute minores,  
 210 Romanas acies, successoremque decoris  
 211 invicti, dantemque aeternam in saecula prolem  
 212 sanguine conjunctum longe miratur Atestem.  
 213 At maris immensi domitor volat aequora curru,  
 214 quem circum assultant informia corpora cete.  
 215 Subsidunt acta in spumas crispataque cedunt  
 216 caerulea, et obversis stridunt vaga marmora sulcis.  
 217 Qualis ubi aethera praepes Jovis armiger aula  
 218 seu pavidum leporem, seu pronum in cornua cervum  
 219 despiciens, specula celer insidiatus ab alta  
 220 orbe datur brevior, trahitque in nubibus auras.  
 221 Ast illi caput atque rotantia pectora circum  
 222 funduntur picae ignavae, corvique sequaces  
 223 sollicitataque vulturii gens improba odore.  
 224 Nec mora, vocales cogit per caerulea fratres  
 225 velivolae tibicen aquae, cui flexa recurvo  
 226 turbine concha favens tumido quatit aethera cantu.  
 227 Est locus Hesperia in magna, qua flexibus ingens  
 228 mille fluentisonis amnes Padus excipit undis.  
 229 Perpetua hinc atque hinc immani pondere rupes  
 230 it caelo, et rapidae feliciter imperat undae.  
 231 Hic ubi sublimes spoliis suspectat ovantis  
 232 Italiae Regina suos Ferraria Divos,  
 233 Musarum Martisque amplexa penatibus umbram,  
 234 illi sponte sua nitidis famulatur arenis  
 235 Hesperiae Rex Eridanus, cursuque solutus  
 236 aurea purpureis libat vestigia lymphis.  
 237 Huc omnes vitreis virides Tritones ab antris  
 238 alta secant, cedunt fluctus, undaeque dehiscunt.  
 239 Pars erexerunt pinnas, aurasque morantes  
 240 captant, et votis aspirant flabra secundis.  
 241 Aut solem glaucae densis contextibus algae  
 242 defendunt, bifidis trepidant freta fervida caudis  
 243 convulsumque feris fugit occursantibus aequor.  
 244 At parte ex alia viridis chorus ordine longo  
 245 Nereidum comitatur iter, vitreisque sub undis  
 246 lubrica pellucent labenti pectora fluctu.  
 247 Exercent humeros aliae, pars colla ferarum,  
 248 nant aliae, tremulis respondet plausibus aether,  
 249 impexi fluitant crines et in aequore ludunt.  
 250 Cunctorum in medio pacatis ducitur austris  
 251 terra ferens clarosque viros animasque beatas.  
 252 Cui pater audaces adjunxerat ipse jugales,  
 253 Laetmothoum, Rhothiumque Polyclystumque Haliumque,  
 254 quos deprensa cavis pelagi sub cotibus imi  
 255 Cymothoe magno genitori effudit in auras,  
 256 cum vultus et colla jubis mentitus equinis  
 257 improbus hinnitu scopulos tentaret acuto.

258 Illi indignantes densos obsistere fluctus  
 259 irarum tumidis proflabant naribus ignes,  
 260 acriaque in numerum properata volumina crurum  
 261 exsnuant, caecaque cient aspergine caelum  
 262 infrenes ; curvi absistunt a pectore montes,  
 263 exsultantque vada et latices miscentur amari.  
 264 Nunc age, dura premens olidae quid tergora phocae,  
 265 immensi pecoris custos maris, agmina Proteus  
 266 dum cogit, lentoque salo riget horrida barba,  
 267 dic Dea, quae vasto nos ausa es credere ponto.  
 268 O dilecta viris et diis dilecta Latinis  
 269 terra potens, terra imperio decorata potenti,  
 270 quae magni tecum vectas compendia mundi,  
 271 nunc ego Romanas acies, pubemque Sabellam  
 272 praetereo ; major rerum me concitat ardor.  
 273 Vos, quibus imperio aspirat Fortuna secundo,  
 274 magnos heroas, natos melioribus annis,  
 275 alloquor, Italiae quibus altum nomen inhaeret.  
 276 Ite per Eridani fluctus undasque sonantes,  
 277 laeta manus, quam laetus agit Trojanus Atestes,  
 278 dum consanguineis arridet gloria turmis.  
 279 Ante alios duris Alcides clarus in armis  
 280 exsultans, trepidumque ciens in proelia Martem  
 281 Itala barbaricis immittet signa manipulis.  
 282 Quem quantum imperii commendant sceptris potentis,  
 283 tantus adest triplici divino munere prole  
 284 conspiciendus, et ipse tamen sibi cedit in illis.  
 285 Sed jam quid rerum perspecto clarius orbe  
 286 viderit Hippolyto, clarove quid auctius ore  
 287 pectoreque atque animis Isabellae et praepete lingua  
 288 omnia qui nitido rimatur lumine Titan,  
 289 aut quidnam ingenio, divinis majus et armis  
 290 Alfonso, tibi scis alibi, Regina, canendum,  
 291 Calliope, Euganeis juvenis cum ductus ab agris  
 292 fervidus audaci deducet carmina nisu.  
 293 Namque huc in tenuem pugnas arcessere cantum  
 294 non opus est, spatiisque premor disclusus iniquis.  
 295 Tunc tibi munificos animos, illustria facta  
 296 dicendum, ac forti quaesitos Marte triumphos,  
 297 ancipiti ut toties bellatum in moenibus ausu,  
 298 ut propulsato sublata ex orbe trophaea,  
 299 inclyta Mausoli cedat quibus aura maritae.  
 300 Sed mea quid revocas ad te, clarissima Tellus,  
 301 carmina, sollicitas nostros quid, Mantua, cantus,  
 302 Mantua, cui Gonsaga Domus, cui flammea Martis  
 303 pectora, Minciadesque manus armantur in hostem ?  
 304 Quid tua Benacus scindens uxorius arva  
 305 turgidior sese dotalibus addidit undis ?  
 306 An quod Atestino pariter sub sidere fulgens  
 307 grandior adjunctis exsultat curia Divis ?  
 308 Dii patrii Indigetes sacrosanctique Penates,  
 309 ipsa suis residens Isabella calentibus aris  
 310 prospiciat fractis pacato numine Musis  
 311 invictumque manu atque animis sortita maritum  
 312 auctaque sidereo non uno tempore foetu  
 313 divinis validum fratrem miretur in armis,

314 quid tantum ferro valeat, quid fulmine tantum  
 315 fortia disjecto disturbet moenia vallo,  
 316 unde fluant tumidis generosae fluctibus irae.  
 317 Conscia, magnanimo pariter commista pudore  
 318 pectoribus semel ut virtus incanduit altis,  
 319 infractis infesta cadunt Mavortia pilis  
 320 pila, sonant flictu galeae, truncosque volutant  
 321 caede viros victo rorantes sanguine rivi.  
 322 Testis erit miserae clades infanda Ravennae.  
 323 Fortia cum gravibus vectabunt funera plaustris,  
 324 sanguine tum latos humeros aspersus Hiberno  
 325 igneus ante alios acies turbabit apertas  
 326 restituetque loco victos, totumque duorum  
 327 ipse exercituum referet decus, hic ubi sistet  
 328 spiritus, invictique animum victoris anhelans  
 329 confertos caeso vastabit milite campos.  
 330 Ut quondam Alpinas argentia robora rupes  
 331 stant connixa altis radicibus, unde sonantes  
 332 secura irradient austros, ubi Circeus urget  
 333 protinus eversis tollunt fastigia plantis.  
 334 Intus hiant vastique specus altaeque cavernae.  
 335 Salve, summe parens patriae, dux unice bello,  
 336 nate Diis Italis, Italum pater almae Deorum,  
 337 Alfons bellipotens, quo non praestantior alter  
 338 sanguineas animare acies, obducere turrem,  
 339 signa inferre cavis cuneis, dum fluctuat hostis,  
 340 aut disturbatas ferro reparare cohortes,  
 341 urbis excidio petere, obsidione tenere.  
 342 Surge potens, terraeque minax caeloque vocanti  
 343 surget et armorum tecum decus extinctorum.  
 344 Atque olim audebis magnis volventibus annis  
 345 aurea cognato deducere saecula mundo.  
 346 Perpetuo et cingens divina haec litora muro  
 347 institues sylvam omnigenam, genus omne animantum  
 348 et pisces et quadrupedes pictasque volucres,  
 349 hic ubi Atestinas ingens Padus audit habenas,  
 350 cervasque et capreas, leporumque agitata pavore  
 351 pectora, et intactas tenera cervice juvencas.  
 352 Nulla leves aditus animalia noxia tardant,  
 353 matrum mille legunt teneri vestigia damae.  
 354 Non apri irarum memores febrisve leonum,  
 355 aut hominum insolito gaudens panthera furore,  
 356 verum agilis tremulo dat in aera corpore saltum  
 357 capreolus, luxuque fremit, blandeque coruscat  
 358 cornibus, et pugnae Venerem proludit acerbam.  
 359 Plurima praeterea formis animalia miris,  
 360 vecta peregrinis animosi flatibus Euri,  
 361 Assyria Hesperio mutarunt pabula caelo.  
 362 Inde canem meditans, incursus inde leporum,  
 363 perplexis temere latitans in saepibus haedus  
 364 vagiit, et pavida signavit voce parentem,  
 365 arida quae caro metuens jejunia foetu,  
 366 aut dulcem cytisum aut udum depasta salictum,  
 367 implet odoratis distentum frondibus uber.  
 368 Pone sub Alfonso mecum, grex parve, timorem,  
 369 tutus age, et magnos disce hic cognoscere Divos.

370 Non aberunt corili, non pix, non poma, nec imbris  
371 non admissurae fagi solemque cadentem.  
372 At procul apricos arcent pineta colubros.  
373 Hinc horti Hesperidum rident, hinc laetus Adonis  
374 et Rex Phaeacum, atque illustri discolor umbra  
375 populus, Herculeos foliis imitata labores,  
376 moraque castanaeaeque, pirus, cerasique nucesque,  
377 doctaque non alio transmittere vitis odores,  
378 et quaecumque sinu felix Pomona reducto  
379 sparsura ad fontis scatebras et ad ampla reportat  
380 atria, Niliacos muro victura labores,  
381 ut, quoniam toto princeps erit optimus orbe,  
382 huc magni deducta orbis deserviat ora.  
383 Talia flammato divinus pectore vates  
384 mira Diis pelagi, nobis ventura profudit,  
385 donec eos Rex Eridanus pleno accipit alveo  
386 pumicibusque cavis epularum apponit honores.  
387 Jamque extrema canit cornu vestigia Triton.  
388 Tum vero indigenae superant nemora avia Nymphae,  
389 capripedumque pecus Fauni prolesque bifformes  
390 huc illuc volvunt oculos, et victa stupescit  
391 rustica mens inhiansque ignotis pascitur oris.  
392 Tum laetas animas superumque ad lumen ituras  
393 haurit inexpletum admirans, haeretque tuendo.  
394 O mihi si liceat Laureto assistere, et o si  
395 rara exoptatam decerpere laude coronam,  
396 idque volens Isabella suo probet optima nutu,  
397 se Divam confessa, suo se numine passa  
398 affari, pia vota haud aspernata precantum,  
399 tantum Phoebaeo sublatus ad alta furore,  
400 aerias humeris sedes et turbida pulsans  
401 nubila, despectas terras sub voce relinquam.  
402 Unde ego Gonsiacis deducens clarus Atestem,  
403 Juppiter omnipotens, videam per saecula rerum  
404 nil majus, nil praeterea toto orbe secundum,  
405 jam mea cum Decimam spirabunt carmina Musam  
406 atque Pudicitiam et susceptum in pectora Phoebum,  
407 atque ut magnanimas internitet heroinas,  
408 haud secus ac, liquidis ubi nox collucet ocellis  
409 flammatumque vago crebrescit sidere caelum,  
410 Hesperus, Oceani puris perfusus in undis,  
411 emicat, et rutilos jaculatur fulgidus ignes.